252

A

66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66



Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

KW
252
A66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

MicroChamber ©
Beschermd
KB

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

CASPARIS BARLÆI

IVSTA

FOEDERATI BELGII,

SIVE

EXEQVIÆ

Celſiſſimi & Invictiſſimi PRINCIPIS,

FREDERICI HENRICI,

ARAVSIONENSIVM PRINCIPIS,

Comitis Naſſaviæ, &c.

Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, &c. Gubernatoris, & Militiæ Fœderatorum terrâ marique Præfecti, &c.



AMSTELODAMI,
Ex Typographeio IOANNIS BLAEV,
MDCXLVII.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

KONINKLIJKE BIBLIOTHEEK

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

CASPARIS BARLÆI

FOEDERATI BELGII IVSTA, SIVE EXEQVIÆ

Celſiſſimi Invictiſſimique PRINCIPIS

FREDERICI HENRICI,

Arauſiorum Principis, Comitis Naſſaviæ, &c.

Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Vltrajecti, Groningæ Gubernatoris, & Fœderatorum Militiæ terra marique Præfecti.

TRanſcendit Bellator humum, Superûmque theatris
Inſeritur Martis ſoboles, cognataque pulſat
Sidera & invictum terris caput intulit aſtris.
Nec jam Fata Ducem, nec tollere celſius Orbis
Vota queant, nec Arauſiacæ ſublimius Aulæ
Fama vehi; quàm ſi mediis ſe abſcondat Olympi
Porticibus, victumque infrà ſe ſpectet Iberum.
Extulit Illuſtrem gradibus Fortuna, ſuiſque
Evexit Celſum ſpatiis. mare, littora, gentes
Implevit Mavortis honos. iit altius ipſo
Armorum cum Sole labor, Phœbumque triumphans
Dum ſequitur, victrix tranſverberat æthera virtus,
Inque Deûm foribus ſtetit, & quà linea rerum

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

Deſinit & neſcit tolli magis ardua belli
Gloria, ſurripitur populis, ſubductaque mundo,
Hîc ubi per magnum Heröes ſpatiantur Inane,
Hæret & Alcidas inter ſaturata quieſcit.
Incedit fractis mœrens Bellona ſariſſis.
Incubat in clypeum Mavors, gladioſque faceſque
Telaque & adſperſas hoſtili ſanguine dextras
Et quicquid nuper potuit placuiſſe furenti,
Damnat, & armati dum nuſquam apparet imago
Principis, ipſe ſuas dediſcit belliger artes.
Quin faber ardentis Liparæ ſua fulmina neſcit
Mulciber & chalybum ſtrepitus. torpere Pyracmon
Membra dolet, tantumque ſibi periiſſe laborem,
Nec ſolita Ætnæis ſubigi fornacibus æra.
Stat ſonipes, nulliſque rigat ſua fletibus ora.
Forſan & hîc magni nequeunt plorare dolores,
Et ratione ſtupet quadrupes. qui miles in enſem
Surrexit, rectoris egens ſua projicit arma,
Nec veteres acuit ſtrictis mucronibus iras.
Ipſe jubatorum phaleras faſtidit equorum
Lentus eques, nec jam curat ſubſtringere loro
Diſcinctas cervice jubas, non ſpumea frenis
Ora madent lacerique rigent calcaribus artus.
Neglectæ ſordent galeæ, frameæque tubæque,
Caſtra vacant, nullos lacerat catapulta penates,
Et pax eſt, ubi longa ſuis Diſcordia cauſſis
Sæviit & languent, facili nunc hoſte Leones,
Ecce, procelloſo circumdatus æquore bellax
Mattiacus, Friſiuſque ſuæ defenſor arenæ,
Lumina dejecto miſcent lachrymoſa Sicambro.

Mitratis Patribus gemitus extundit acerbos
Iſala, Cæſareaſque ululans Libitina per urbes,
Flere jubet fortes Salios, Morinûmque querelas
Waſia arundiferis muſſat mæſtiſſima ripis,
Quamvis victa recens. quo flumine corniger undas
Rhenus agit, totum Vahalim ſingultibus effert.
Moſaque Eburonum validas dum permeat arces,
Adſpicit effoſſum terris pallere metallum,
Sulphureoſque timere Ioves. ſe latius horror
Explicat & nexos venerando fœdere Gallos,
Et delaſſatos Regali lite Britannos,
Luctus habet. vacuam cognato vindice ſentis
Catthe domum, ſociumq; armorum plorat Achillem
Suecia. quin belli exemplar deſiderat excors
Adria, & hac alium cuperet de ſtirpe renaſci,
Qui face Threicios ferroque ſequatur & audax
Priſca Panomphæi defendat tecta Tonantis,
Avertatque iſtum Divorum à gente pudorem.
Imperiis viduata ſuis circumflua Tethys
Horret & Arctois Dominum circumſpicit undis,
Quaſſatamque ratem pelago nudumque tuetur
Remigio latus & pavidum ſine Præſide Tiphyn.
Exolvit Natura Ducem, ſua Veſpera venit
Naſſovio, Patriæque jubar fulgurque potentis
Europæ placidi merſit caligine fati
Pallida mors, noſtrique ſilet grave cymbalon ævi.
Cui modò laurigeræ fulgebant vertice criſtæ,
Et manus Heſperia victrix à cæde rubebat,
Obvia cum medios raptaret ſigna per hoſtes,
Pugnantique hinniret equus, fumiſque lateret

Obruta bellatrix anima & ſe cerneret unam,
Occidit & ſibimet jamnunc ſuccenſet inermi.
Talis erat Druſi facies, cum buſta rogumque
Inſtrueret Romæ pietas. ſic ſtratus in oſtro
Decubuit clarus Macedo, cum funera circum
Lyſimachi Antigonique & nomina magna Crateri,
Caſſandrique truces ſtarent. fuit ille jacentis
Scipiadæ exanguis vultus. nam ſigna notaſque
Romanæ virtutis habes, oculoſque minaces
Hoſtibus & medio Martis veſtigia letho.
Sic ubi confoſſus telis Leo morte furorem
Exuit & fractis inſons expanditur armis,
Non tamen horrendis abeunt à partibus iræ,
Et quicquid ferale fuit. dens ille ruentis
Reſtat adhuc, ſervatque aliquid non mite cadaver.
Imus ad exequias cuncti, ſequimurque feretrum
Exanimes, unoque omnes in pulvere cives
Condimur atque eadem noſtra eſt, quæ funeris, urna.
Nec tamen hîc victi ſpoliis, Hiſpane, ſuperbis,
Nec Perſen captique trahis poſt terga Iugurthæ
Exuvias, non hîc Varo Craſſoque parentas.
Non Cannæ infames nobis, non Allia cæſo
Fatalis rectore fuit, non Regulus Afris
Ludibrium eſt, non Hannibalem fortuna cadentem
Deſtituit. medias inter lauroſque hederaſque
Noſter Ductor obit, calidique à ſanguine Manes
Flandriacis onerant victricia buſta trophæis.
Illuſtres tumuli, non veſtro lilia ſaxo
Cinnamaque aut Arabum manantia balſama ramis
Imponam violiſque tegam fragrantibus aram.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

Non molles queror ad cineres, non funus amantis
Leandri Peleique meum eſt, non umbra procantis
Deiphobi, ſegneſque animæ. ſe Pyrrhus Achilli
Mixtus & Hectoreis aliquis ſub vultibus offert,
Terribileſque rogi. qualis cum Cæſare Bruti
Marcellique fuit. Fabii Deciique ſepulchro
Iuſta pii facimus, ſcenamque cadavera formant
Pompeii, & celebris Numidarum clade Metelli,
Et læſi toties pondus præluſtre Sicinnî.
Tu potius miles gladios, thoracas ahenos,
Et galeas tumulo agglomera. lorica, machæræ,
Et ſicæ ancipites, ſtrictæque in colla ſecures,
Baliſtæque truces cineri ſunt congrua noſtro.
His juvit pugnaſſe, acies fregiſſe globoſque
Et cuneos rupiſſe olim, peſſundare turres,
Præcipiteſque dari vallos. his claruit armis,
His ſtetit, his ſtrepuit bellorum fabula telis.
Militiæ pars triſtis eat peditique ſeverus
Iunctus eques, tremulo libret veſtigia greſſu.
Quos belli diſtinguit honos, hos ordine eodem
Defuncti conjungat amor. quæ cauſſa tribunos,
Illa maniplares lachrymis immergat iiſdem.
Mugiat afflictus tubicen, nec claſſica pleno
Ore ſonent. edant oppreſſum tympana murmur.
Martiaque occultis tundantur tergora bombis.

Vos quoque cœlituum voces ſacrique parentes
Ordinis, attentum eloquio qui flectitis agmen,
Attonitis mecum ſuſpiria ducite templis,
Et precibus placate Deum. ſub vindice tanto
Tuta ſtetit cunctis Pietas & neſcia cogi

Libera

Libera mens, ulloque mali terrore moveri.
Illius imperiis probitas & pacis amicæ
Vis ſubiit ſenſuſque pii & ſublata nocendi
Materies ſtudiumque fuit. tranquilla poteſtas
Compoſuit motos animos. ſub Principe ſalvi
Viximus incolumeſque manent hoc judice partes.
Tu quæ jura legis populo terreſque nocentes
Curia & HENRICI toties ſub nomine dixti
Triſtia veſano ſceleri, veniamque dediſti
Mitior inſonti miſero, palatia taxis
Aſtrææque domos plorata cinge cupreſſo.
Quoſque dabas trepidis titulos frontemque tabellis,
Tolle precor. patiare reum ſpirare parumper,
Privatumque malis Patriæ indulgere dolorem.
Tu Pallas delubra aperi. quo Præſide pulchris
Ingeniis monſtrata via eſt, quâ ſe quoque poſſint
Tollere humo; voces illis largire diſertas,
Phœbæique ſonent ſtrepitu majore penates.
Crevit honos Muſis, hoc Mœcenate, recenſque
Breda, triumphato toties illuſtris Ibero,
Accendit tibi Diva facem, quæque horruit armis
Implevit totam doctis ſermonibus urbem.
Cum raperet Pellæ juvenem Babylonius Aſſur,
Vos procul exſtinctum illuſtres fleviſtis Athenæ;
Et ſeſe auguſtis toties pia Roma locutam
Principibus meminit, ſeu cum venerabile buſtum
Deferret Syrios flens Agrippina per agros,
Aut, Auguſte, tuam Tiberis loqueretur in urnam,
Iſtaque tercentum quaterent ſpectacula Patres.
At minus hoc, lugere homines. vos ſidera poſco,
Vos

Vos Cœli, æternique ignes, ſub Numine quorum
Victor Belga fuit, potuitque occumbere Veſper
Et Tarteſſiaci minui fortuna Philippi.
Qui trux fulmineum, Perſeu, ſublimior enſem
Æthereas inter flammas attollis, opacâ
Abde jubar nebulâ. partes ſatis iſta peregit
Dextra ſuas lambitque hoſtilem irata cruorem.
Ite Lycaoniæ priſcis ſtationibus Vrſæ,
Quæque apices vaſti cuſtodiviſtis Olympi,
Cedite cuſtodi Batavûm, oblitæque furoris
Funebrem ſpectate aciem, totumque Boöten
In terras celſo vobiſcum abducite cœlo.
Alcide, cui clava feras, Regeſque Stygemque
Perdomuit, quem nunc terris mandamus, honoris
Æmulus ille tui vixit, Regumque ſuperbis
Verticibus criſtam excuſſit. non ſolus in aſtris
Crederis Engonaſis. decus hoc decernere poſt te
Auriaco fas eſſe reor. tuque optime Cepheu,
Parcarum reprehende minas & ſtamina vitæ
Arbitrio moderare tuo. planctura decoras
Tendat Caſſiopeja manus, lucemque Coronæ
Subducas, Ariadna, tuæ. pallenſque tremenſque
Andromeda excuſſâ comitetur funera pallâ,
Pleiädumque ſuos abſcondant lumina vultus.
Sic omnis Natura ſuæ diſpendia ſortis
Sentiat & tantis cupiat miſereſcere fatis,
Et me prælachrymante, queri. Iam concute Cirrham
Magne Camœnarum rector, fonteſque reclude
Pegaſeos, Boreiſque infer Delumque Claronque
Littoribus veteremque tuo vim ſuffice vati.

Qui tot bella comes cecini, domitoſque per Orbem
Terrarumque mariſque Deos, ſub Solibus Indos,
Regna per Auroræ thalamos, ſpoliätaque diti
Tranſtra ſub Occaſu, concuſſaque ſcrinia regum,
Turrigeras arces, tot delaſſantia Martem
Oppida; poſtremùm, poſt tot momenta laborum,
Aſſurgam, FREDERICE, tibi. Belgîque potentis
Inter & Heroum planctus Regumque Ducumque,
Felici pia verba loquar. Tu conſcia rerum,
Suſpice magnanimæ Mavortia robora dextræ,
Belgica, & innumeros recita, me vate, triumphos,
Quique Duci factis fluxere illuſtribus, annos.
Inter tela Puer longique exordia belli
Naſceris & patrio madefactis ſanguine cunis
Illachrymas, neſciſque tuæ diſcrimina gentis,
Vltoremque Tagum calidoſque à cæde Photinos.
Cum ferus infandis tabulis proſcriberet inſons
Heſperiæ rector caput & peſſundaret auro.
Tunc tibi in augurium cunctis ſudaſſe caminis
Lemnos viſa fuit, Steropeſque incudibus arma
Præformaſſe ſuis & præſenſiſſe futurum
Martis opus, validas quæ machina frangeret urbes,
Quæ portarum obices obſcura nocte ſeraſque
Rumperet, & totas in ſidera truderet arces,
Abſtruſoſque altè manes aperiret Averni.
Ipſa potens fandi Lacheſis cunabula coram
Dum rotat, his, ait, Europæ fortuna rotatur,
Hic puer eſt, cujus tot formidabile regnis
Ad lituos trepidabit ebur. vagitibus illis
Heſperiæ pars magna ruet, tantique labaſcet

Regna-

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

Regnatoris apex. diſcet manſueſcere Bætis,
Otiaque horribili Belga extorquebit Ibero.
Cæſareis innexe, Heros, natalibus, altis
Deducis genus à proavis, quos horruit olim
Roma, triumphatæ deplorans vincla cathedræ,
Et captum in ſolio Patrem; quoſque infula vexit
Sacratique pedo faſces, metuiſſe Garumnæ
Et Ligeris potuere Dii, quibus omnis habenas
Advaticus trabeaſque ſuas miſere Sicambri,
Flandriaque infeſtas Aquilis compeſcuit iras.
Qui Genitor fuit, hoc ſtetimus ſub vindice Belgæ &
Stamus adhuc, cum preſſa malis Reſpublica crudis
Cædibus ingemeret, flammæque enſeſque magiſtri
Impavidæ Pietatis erant. ne, Fama, Loyſæ
Immemor eſſe velis. hoc nunc emerge ſepulchro
Illuſtris Genitrix, faſtiſque inſcribere princeps
Femina, Coliniique patris reminiſcere laudes.
Fluctibus Oceani pelagique enaſcitur infans
Martius & cœlo ſimul induratur & undis,
Audacemque animis bellacibus Æolus implet.
Ipſa parens gladios lateri ſuſpendit & acrem
Exacuit, voluitque ipſo cum lacte cruentum
Vindictam bibere, & Regi ſuprema minari.
Iamque haſtam torſere manus, cum viribus impar
Dextera, quod nequiit, potuit voluiſſe videri.
Talis Phillyrides creſcenti robur Achilli
Conatu leviore dabat, mox plena lacertos
Vis ſubiit nocuitque aſſuetus motibus arcus.
Talis inexpertam quatiit Mars parvulus haſtam,
Atque Agamemnonios luſus timuere Mycenæ,

Argolicique Duces. ſic deplorata ſuorum
Funera cunctantis Fabii fuit ulta voluntas,
Cum nondum Hannibalem poſſet vix nata morari.
Exemplo Dux Frater erat, belliſque coruſcus
Subdebat juveni ſtimulos. ſucceſſibus audax
Iungebas pernox operas. tu Flandria teſtis,
Cum caſtris inimica ſuis divulſa videres
Agmina & oppoſitis faceret diſcrimen arenis
Sors & cauſſa Ducum. vixdum lanugine malas
Tinxerat ætatis facies. Tu fervidus ipſum
Mendozam votiſque acies in vincla trahebas,
Et pugnæ ſpectator eras. animoſior annis,
Miſceri cuneis jam tunc turmiſque volebas,
Mauritiique tuos accendere laudibus auſus.
Diſrupit medios Fratris victoria ſomnos
Sæpius atque tuis tolli argumenta trophæis
Et famæ minui toties alimenta dolebas.
Nunc nimis accîdi Morinos, nunc clara Sicambro
Caſtra rapi, quavis Friſios palleſcere ripâ,
Et cunctas uni Superos impendere lauros.
O quoties Vahalim circum Rhenumque bicornem
Sublimi ſubvectus equo, cataphracta fugaſti
Cornua, belligeraſque manus pepuliſſe decorum
Cenſebas & grande tibi, cum gnarus & acer
Obvia denſatis penetraſti ſigna maniplis,
Bellatorque ſenem viciſti imberbis Iberum.
Quanta per Advaticos graſſari incendia campos,
Vidiſti, præclare Ligur. cum cladibus excors
Ingemeret Bruxella ſuis, Grudiuſque ſub altis
Mœnibus accenſis doluit diſpendia villis,
Fuman-

Fumanteſque domos, habitataque prædia Faunis
Fleret & in portis trepidans audiret & agris
Martia Naſſovium reſonantia claſſica carmen.
Quanta Palatinis venit reverentia terris,
Cum ſuper & Moſam ſuper exaudita Moſellam
Fama fuit, Batavæque irent in bella cohortes
Extera. cum diſcors vario rectore poteſtas
Languit & queruli diſrupit vincula pacti.
Quot Fratri cecidere urbes arceſque domuſque,
Tot cecidêre tibi. geminos ſub pellibus æſtas
Solſtitiiſque ſuis Superi videre. dieſque
Atraque nox fluxere pares. fortuna, laborque
Qui belli, qui pacis erat, diviſus in ambos
Nunquam unius erat. rerum ſub Fratribus ardor
Crevit & in pugnas abiit cum Caſtore Pollux,
Cum Decio Decius, Pyladique adamatus Oreſtes.
Vix mediis te læta Ducem Reſpublica caſtris
Dixerat, & ſtrictas æterno fœdere gentes
Tradiderat, faſceſque ſuos devoverat uni;
Auſpicium à Mavorte facis, defenſaque pulchrè
Libertas, animis porrò defenditur îſdem.
Imperio caſtriſque vacas, maturaque totum
Circumdat Bellona tubis, & docta magiſtrum
Nuncupat, & rigidis inter metuenda machæris
Agmina, jam cupit æratis concurrere turmis,
Iam ferro feciſſe viam, glomerare phalanges
Aut ſpatio majore gradi, nunc ſtare rotundas,
Lunato nunc ire ſinu, nunc aggere claudi,
Nunc latebris prodire ſuis, modò flumina ſterni
Pontibus & totas glebis ſorbere paludes.

Scilicet hæc noviſſe, tuum. jam quiſque parentem
Rectoremque colit. cunctos te certa ſequendi
Cura duces ſtimulat, quoties per rura, per undas
Ferris, belligeroque ſeges ſtat ferrea vultu,
Militiæque vices te Dictatore tuetur.
Pande, Erato, rerum ſeriem, terraſque per omnes
Vatem tuta rape & portis immitte ferocem,
Intrepidum immiſce cuneis, impone minacem
Puppibus & ſublimem auſis furialibus urge,
Inſignemque maris ſpoliis oſtende theatro,
Magna triumphatrix pelagi; bellique per artes
Trude fatiſcentis tandem conamina Muſæ.
Inchoat egregias prima Oldenſalia laudes,
Et dejecta viam cœptis majoribus offert.
Grolla ſubit, ſenſimque levat ſe Fama triumphans
Auſtriacum Auriacumque inter. ſe Martis arena
Explicat & parvis ſpatiis diffuſior exit
Bellica vis. iſta dominos mutavimus urbe
Sæpius, & victæ decus eſt, hoc Principe vinci.
Scilicet impatiens pacis ſceptrique prioris
Luctatur, cauſſaſque ferox dum ponderat, uni
Poſt abjuratas Aquilas ſtat fida Leoni.
Tum decepta ſuos tradit Veſalia cives,
Et vallis neglecta jacens & ſegnis apertis,
Vincitur; & vacuis dum regnat Iberia campis,
Velaviæque ruunt per rura patentia, Regum
Cæſareæque acies, populis ludibria cunctis
Certa facit, reducique occludit mœnia Bæti.
Iam metus Vnanimes gentes & terror habebat,
Veliferum dum miſſa bibit Germania Flevum,
Iſalaque

Iſalaque Heſperiam vectat, dum Geldria cladem
Et ſterilis queritur miſeranda incendia terræ,
Flagranteſque Deûm turres. furit alter ad ipſas
Hannibal & Brenno portas. rectore ſub illo
Reddita lux Patriæ eſt & rurſus maſcula longo
Se ſolvit res noſtra metu. fugêre phalanges,
Degenerique ſuos velatæ caſſide vultus,
Non expectatæ caſum luxere ruinæ.
Pugnatum fuit aggeribus, pugnavimus undis,
In promptu vis omnis erat virtuſque; ſed illa
Opportuna magis, jugulum quæ ſtrinxerat hoſti,
Præcîditque viam Cereri, dum ferrea rumpi
Vincula, tranſmitti foſſas, valloſque teneri
Conſpexere ſuo lachrymoſa crepuſcula Phœbo.
Nec minus Auriferæ claſſes raptæque ſuperbi
Regnatoris opes pelago. Peruana per æquor
Colchis iit, velluſque aliud vexere carinæ,
Naſſoviæque rates. toto ſtant littore puppes
Et pallens pandis abſcondunt ventribus aurum.
Hîc ubi ſub Cancro Phœbæis meta quadrigis
Tangitur, ipſe ſuos Tropicis æquavit honores
Auriacus. quà Cuba jacet ferve nſque procellis
Tunditur & pavidæ portus patuere Matancæ,
Præda patet, noſtrumque onerant illuſtria Tiphyn
Pondera & exuitur gazis fulgentibus Aſtur,
Arctouſque vehit Potoſinos navita montes.
Quin lætum miratur onus, nec parta labore
Præmia militiæ, nec tinctum ſanguine lucrum.
Tunc Panamamq; Dioſque ferunt opulentaq; longè
Littora, cantatoſque Peru ploraſſe receſſus,

Et Limam Cuſcumque potens, Pelopumq; Midæque
Atria & Attalici penetralia fulgida regni.
Sic cum Rege etiam Occaſum partimur, & olim
Vinctum Attapalibam ſeris ulciſcimur annis,
Atque illaudati ſcelus immortale Pizarri.
Exceſſit Fortuna modum, & ſucceſſibus audax
Invaluit generoſa ſuis. quam vincere Sylvam
Spes vetuit cunctiſque impar fiducia votis,
Vicit, & Auriaco invictum nihil eſſe fatetur.
Iuravere Dii facinus, damnataque cœlo
Vrbs inimica fuit. ſorpſit trux Veſta paludes,
Pabula bellorum Oceanus, Mars pulveris ictus
Obtudit Eugeniæ. fluvios frenare Diana
Et Pallas docuere Ducem, confundere terras
Fluminibus, ſiccis immittere flumina terris,
Permiſcere domos Superûm, Satyroſque tueri
Najadibus, per Plutonis tenebroſa vagari
Limina, fallaces occulta indagine flammas
Condere, robuſtumque adytis abſcondere ſulphur.
Ex quo fracta ruit, potuitque fatiſcere Belgî
Terror & Alcidæ domus, omnis viſa vetuſtas
Eſſe minor, vireſque ſuas non amplius Auſon,
Non Hellas mirata fuit. ſiluere Coronæ
Dyrrachii, & quæ te cinxere Aleſia turres.
Non tantus Capuæ labor, aut Carthaginis altæ,
Nec ſimiles operum vultus videre Platææ,
Non Tyrus, aut grandi molimine victa Saguntus.
Hîc alius transfoſſus Athos. hîc arcibus arces,
Caſtellis caſtella, & celſum Pelion Oſſæ
Impoſuere manus. nil cœlo ad bella relictum.

Fecimus

Fecimus hoc omne impavidi. ſolertia favit
Viribus, ingenio robur, fortuna labori.
Victoris laus una fuit, facundia mundi.
Et vix Pieridum potuit tot vocibus edi
Gloria. ſic domito rediit Semelejus Indo,
Nec Latias ivit plauſu majore per urbes
Paulus ovans, captoque ferox gens Flavia Iuda.
Rurſum alibi vincendus Iber. trans æquora poſcor
Orbe alio, telluſque jubet me barbara ſceptris
Auſtriacis ingrata loqui. ſequar, INCLYTE DVCTOR,
Inque tuas fundam ſtillantia ſacchara lauros.
Non ſatis Eois illas meruiſſe Moluccis,
Aut ubi ſe cœcis abſcondit Nigris arenis,
Æthiopumque micant oculi, vel Perſa perunctus
Aut fuſcus ſe velat Arabs. ſub Veſpere bellum
Surgit & Occiduo demerſum gurgite Solem
Sollicitat, veterique facit divortia mundo.
Hoc Duce, Atlantæos fluctus ſecuere carinæ,
Sanctorumque Sinus, cunctorum limina Divûm,
Invaſere rates. cecidit regalis Olinda,
Exitiumque ſui nullo ſplendore redemit.
Quàm clades Olyſippo ſuas tunc ſenſit, & ingens
Occaſum Caſtella ſuum, ſpoliataque longè
Regna Tagi, medias quà fax Titania terras
Dividit & paribus luces Sol ſupputat horis.
Hîc urbes ſurgunt aliæ & nova mœnia Belgis,
Naſſovio regnante. inſternunt flumina pontes,
Oſtiaque ignoti claudit vigilantia Nerei.
Et celebres circum numerant Caſtella Reciffæ.
Struthius ad fluvios Grandes incedit & illi

It comes ad Vahalim genitus. dat pulchrior uvas
Et botros Tamarica ſuos & pocula fundit
Muſtea Hyperboreis peregrini gratia cœli.
Accedit Parayba & dulcia munera miti
Præformat populo. Pernambucenſis ocellis
Virgo ſuis nitet & ſpeculis ſe conſpicit ipſam,
Mirata ingeniumque ſoli & fœcunda bonorum
Iugera & excelſa natos in arundine ſuccos.
Pugnant Parrhaſiæ Phœbo præeunte cohortes,
Flumina Mattiacas vectant Argentea puppes,
Inſolitos pavet unda viros, & ſanguine noſtro
Barbaricæ tinguntur aquæ. novus advena nudam
Adſpicit Adami ſobolem ignaramque pudoris
Progeniem, & quærit cauſſas, cur diſpare cultu,
Et tanto immanes vivant diſcrimine fratres.
Adſtant indigetes nobis bellique tumultus
Externamque timent gentem, pelagoque patenti
Caſtra vehi, pugnas ipſis & certa parari
Funera, diſplodi crudeli murmure glandes,
Inſonteſque peti ferro. Nos æthere in alto
Per caput inſanum ferri Phaëthonta videmus,
Patagonumque alias oculis exſurgere flammas
Stellarumque faces. hic Graiæ ſidera puppis,
Thuribulum, & flexum ſinuoſis partibus Hydrum,
Et ſemper tepidas hiemes; geminiſque beari
Meſſibus & variis umbris decurrere menſes.
Pugnant humano ſaturati viſcere ventres,
Et formidatus dira inter fruſta Tapujas
Ingreditur, charoſque ſibi poſt fata propinquos
Non tumulis verùm maleſano abdomine condit,

Et ſalit & gaudet cantus mugire ſeveros.
Si nocuit Duynkerka domi, ſanè altera Belgis
Hîc ſurgit Duynkerka, truci quæ damna Philippo
Reddet & ignotis olim prædabitur oris.
Continuant iſtas Victricia carbaſa lauros
Orbe alio, claſſeſque rapi infelicis Eliſæ
Tola videt, Scaldimque novis horreſcere cœptis,
Iuratoſque duces & caſtra natantia mergi.
Spirabant tot tranſtra minas lemboſque vomebant
Flumina & adverſis ſternebat puppibus undas
Moſa pater. qualis pavida Carthagine Roma
Ivit in oppoſitos animis bellacibus Afros,
Afer in Auſonios, cum te, Dux maxime, vinctum
Duceret infamis Xantippo principe Byrſa.
Haud aliter magnis cladem molitus Athenis,
Helleſpontiacum ſtravit Rex Perſa profundum.
Ionium fortis Nicias, & clarus Amyntæ
Sidonium Tyriumque nepos. ſic Aulide miſſi,
Et conjurati Trojam reſcindere fratres,
Argolicis Phrygium fregere triremibus æquor.
Hîc quoque Thermopylas alios Salaminque coërcet
Naſſovius ſpatiiſque hoſtes intercipit arctis.
Nec magis indecores, Pœno pugnante, fuere
Fatales Trebiæ. Batavus capit omnia victor,
Signa, viros, totaſque trahit Toxandria turmas,
Cum vectore rates, cum bellatoribus arma.
Nec diſpar facinus, cum mœſtum compede Moſam
Dextera bellatrix premeret Tungroſque feroces
Subderet & per Eburonum faſtigia gentem
Raptaret generoſa ſuam. ſub Principe Belga

Vincimus & gaudent numerum feciſſe triumphi.
En Trajectinis conſedit Belgica portis,
Viſque foras abiit. venientem exſibilat Iſtrum
Dux patriæ, & quamvis multo ſe milite cinctum
Adſpiceret, tamen obſeſſæ violentior Vrbi
Inſtitit & fixis hæſit fiducia caſtris,
Nec, ſecura, movet. pendent è mœnibus, eheu,
Semirutæ turres lacerataque fulmine crebro
Denudant miſeros tot propugnacula cives.
Saxonicus graſſator abit, depulſaque ferro
Caſtra trahit, ſtrataſque virûm tibi magne dicavit
Exuvias, Gradive. viden'? vix arma labaſcens
Colligit & ſparſos laxis ſtationibus enſes
Calcat & inſanus morientum iraſcitur umbris.
Iam dederas Rurmunda manus raptimque dehiſcens
Venloa, & agnatis ſuccumbens Strala Sicambris.
Tu quoque non parvum patriis ter victa triumphis
Addis Rheno-Berca decus, faſtumque retundis
Auſtriacis multumque Tago præcîdis honoris.
Nempe, catenato ſpoliatrix maxima Rheno,
Belgarum tot damna luis, convulſaque celſa
Sede ruis, nec te dorſis immanibus arces,
Non fluvii clivique juvant. ceu Thala Metello
Traderis, aut Capſæ Mario, vel Petra Pelaſgo.
  Magne triumphator, poſt oppida victa duceſque
Regna labant titulique Ducum. ſe mancipat excors
Limburgum, Regumque lubens Diademata calcat.
Ilion hæc, hæc Auriaco ſunt dedita Pyrrho
Pergama. mercantes Dominos hæc prima vocavit
Et fecit Fortuna Duces. inſerta ſagittis

Pars

Pars octava fuit, viditque accreſcere Patres
Regnatrix hæc turba ſuos, & latius ire
Imperia & nullo bellacia fine teneri.
Traxerat in decimum belli faſtidia Solem
Troia ferox, longique dies domuere Saguntham.
Vincitur extemplo Domus hæc, innixaque ſaxis
Culmina præcipitant Superi. res iſta faventis
Martis erat. tradunt totos momenta Ducatus,
Et Venit Viditque & Vicit Belga Philippum.
Tu quoque noſtratis ſtudiis aſperrima belli
Breda,Ducis Liguris ſpolium, rurſum adderis ingens
Victoris Batavi precium. non fœda ferocem
Expugnat viliſque fames, non longa morantur
Tædia magnanimam aut frangunt jejunia fortem.
Fit via vi; rapiturque per ardua & horrida miles
Omnia, & abſolvit tantos brevitate furores
Naſſovius, mediaque ſtetit dominator in Arce.
Quid mihi ſuppoſtas furtim Brabantia glebas
Objicis, abſtruſaſque exſucco ceſpite ſicas?
Neſcit rector Belga dolos. ſic fecimus, infans
Cum primùm Mars noſter erat. nunc pugnat adultus,
Et ſine fraude ferit, juguloſque invadit apertus.
Nec ſatis eſt hîc ſtare Deos, quibus arma furorque
Et quicquid crudele placent. Bellona Minervæ
It comes, & tam diſcordes ſociantur in una
Sede Deæ. lituos inter Facundia pollet,
Imbelliſque novis loquitur Doctrina cathedris,
Præſcribitque modum & compeſcit legibus arma,
Vt, dum pulſus Iber, dum cedit iniquior illo
Væcors Barbaries, poſſit bis victa videri.

Illa tuis etiam lux optatiſſima fatis
Illuxit, Frederice pater, quâ templa Dione,
Et Veneris puer & ſoboli Venus alma recludit,
Guilielmumque thoris regalibus ingerit Hymen.
Poſt acies interque acies & tela globoſque,
Expugnas animos Regum, ſubdiſque Coronas
Cypridis obſequiis & triplex aſſuis aurum
Laudibus, impubem dum ſcandit Purpura lectum
Et Batavos inter nondum matura procatur.
Tunc jaculum tibi torſit Amor, tunc parvus Iülus
Vectatur per vaſta maris, cum noxia nondum
Flamma foret nullamque faces fecere ruinam.
Hæc generis ſors digna tui eſt, privataque ſtirpis
Gloria, nec minus hæc toti conſpectior Orbi,
Quæ Celſum te, Henrice, vocat. te Gallia talem
Indigetat, tu te ipſe facis. cognomina ſolùm
Donat ebur, tu bellipotens æterna mereris.
  Siſtite me, precor Aonides, dum percitus æſtro
Totus Hyperboreis pugnax demergor in undis,
Oceanoque lavor, nec dulci Phocidis amne
Irrigor at ſalſa circumluor Amphitrite,
Et tua me, Trompi, faciunt tormenta poëtam,
Et nondum effugit fugiens Hiſpania vatem.
Cantabrici Manes, vos hæc ad buſta venite,
Et diris facibus cineres turbate jacentis
Auriaci. illius victi ſuccumbitis armis,
Hic vir hic eſt, qui tranſtra furens diſcerpſit, in illo
Occiditis, toſtique natant in fluctibus artus.
Vſſit aquas, ut veſter in his arderet Iäſon
Ignibus & coſtis flueret Tereſa ſolutis.

O Su-

O Superis dilecte, hæc adſpice deſuper, Heros,
Virtutis monumenta tuæ. tu Tethyos amplæ
Et pelagi Deus, in Dunas Tameſinaque latè
Littora truſiſti puppes, portenta profundi,
Arctoi tot monſtra maris. tu ſub Iove ſummo
Merſiſti fluidas uno ceu turbine turres.
Quæ rabies, quæ flamma rates furibunda prehendit,
Accendit funeſta Tagum. flagrare per illas
Viſa fuit Caſtella dolens. arſere ſub albis
Montibus injecto Boreales ſulphure ſilvæ.
Ipſaque devovit certæ ſua munera cladi
Parrhaſis & proprias uri felicius ulmos
Et quercus tum paſſa fuit, nec ſacra Deaſque
Nec denigratos tædis miſerata Iacobos.
Quaſſabant ſtudiis irarum atrocibus hydros
Terribiles Erebi Furiæ urgebantque feroces
In pugnam prædamque animos. jam ſenſerat ignes
Cerberus & poterat Phlegethon Styxque ipſa timere.
Non circumfuſæ ſervarunt tranſtra procellæ.
Ipſæ hauſere faces pontum, & circumfluus humor
Deceſſit calidæque omnis ſubductus arenæ eſt.
Illæ ubi Callaico repſere è littore puppes,
Turritæque domus, vicinaque carbaſa cœlo,
Illuſtris tremuit tanta ad ſpectacula Phœbe.
Quæque micat propior ſtellis Auſtralibus Argo,
Vectores ſtupuit, Boreiſque in partibus impar
Naviget & Siculis timeat contendere ſceptris.
Ætas priſca vehat Danaum fortemque Cloanthum,
Mneſtea Sergeſtumque, vehat memoranda Duilli
Nomina, Leuctra Neoptolemum. nos Principe in uno

Hoc

Hoc toties, hoc omne ſumus. dum rupibus altis
Se tollet Sandwicha & Cantia littora Nereus
Tundet & in Doveri puppes ſe portubus abdent,
Dum vultus timidi Morinis occurret Oquendi,
Iſta triumphatis ſubducet roſtra carinis
Fama & Arauſiacos cingent apluſtria crines.
Dicite ſublimes Bergæ, Mavortia ſedes,
Bellantûm thalami, quas clades, funera, cædes
Ediderit primis pugnans GVILIELMVS in annis,
Auſpiciis Genitoris ovans, cùm fulta ſuorum
Maſcula præſidiis Hebe, daret indole dignum
Grande rudimentum patriiſque adſueſceret armis.
Audivit Pater inſignis præludia Nati,
Promiſitque Ducem populis. ſub mœnibus ille
Andoverpa tuis Cantelmum manè ſalutat
Cædibus & vigilem Auroram & te Phoſphore bellax
Antevenit, pavidiſque parat diſcrimina caſtris.
Exemplis, DVX MAGNE, tuis quàm tolleris altè,
Nunc ſobolis virtute viges. non priſca Renati
Geſta loquar, non Otthonum memorabile paſſim
Nomen & ingentes patruos tituliſque coruſcans
Immortale genus. ſatis eſt in pignore tali
Vivere Te & per tot proavorum facta ſuorum
Victricem vegetamque rapi, te ſtante, Iuventam.
Flandria fatales mecum reminiſcere caſus,
Ereptaſque tibi cœptis audacibus Arces,
Gandavo lachrymante & circum flentibus agris,
Et Leia Liſaque Diis & principe Scaldi.
Nunc portus ceſſere tui, cataracta propinquis
Clauditur & veſtris latè diffundimur hoſtes
Finibus

Finibus & propriis Toxander tutior exit.
Et tu capta Toletanos Arx Gennepa pelli
Cuſtodes gaviſa ſinis. ſunt Nierſia teſtes
Nec pontes in ſe Moſa indignatus haberi.
Vltima Naſſoviis dudum inſuperabilis armis
Waſia, nos poſcit ſocios & ſceptra Potentum
Suſpicit Auguſtæque vices denunciat Vrbi.
Illa Gigantæis, ut fama eſt, grandior auſis
Tranſiri vidit fluvios, properare cohortes,
Et Batavûm excubiis latè vicina teneri.
Donec fracta malis & multo quaſſa tumultu,
Tot tonitrus experta & acuti fulmina belli,
Hulſta cadit, ruptiſque patens & pervia vallis
Auxiliatrices fruſtra circumſpicit arces.
Interea Eoam feriit fortuna Malaccam
Hoc Duce & extremis idem Mars inſtitit Indis,
Mercantemque Goam & fragrantem terruit Orbem.
Omne ſuis vaſtum ſpoliis ſeſe exuit æquor,
Et pandæ meſſes olidas vomuere cavernæ.
Non ſua Neptuno ſtatio, non regia Nerei
Tritoni ſecura fuit. Dux ille tridentem
Geſſit & immenſis naves diſparſit arenis.
Annuit imperiis Afer. Nigrita cruentus
Ferre jugum diſcit, dentemque exaſperat in nos
Nequicquam & tali vult bellatore paciſci.
Qui ſibi, jam nobis torret ſua membra Loandæ
Incola ſervitiiſque Tagi ſuccenſet iniquis.
Mina patet fabroſque doli nunc corrigit Afros,
Fulgidaque Amſteliis auri ramenta carinis
Corrigit & rabidum Phœbæo à lumine Thomam

Placat & à gelidis ſperat commercia Belgis.
Ivimus in Chilem & cum duris fœdera pacti
Gentibus, Auriacæ voces prælegimus Aulæ.
Stabat muta cohors ſoloque interprete fati
Principis ad titulos aſſurrexere Caſicæ.
Fortunate Ducum, veſtris hæc cuncta Batavi
Conſiliis fecere Patres. hæc maxima nobis
Parta domi, vel parta foris. quæ magna pateſcunt
Terrarum ſpatia & pelagi, virtutibus ambis.
Et nunc roſtratæ ludunt per colla Coronæ,
Nunc tua murales circundant tempora turres,
Nunc ſurgens cum Sole ipſo ſuper aſtra levaris,
Nunc Auſter media cœli te parte reponit.
Nunc te reſpicit Occaſus, nunc horridus axis
Cernit in excelſis depicta inſignia tolli
Puppibus, & vacua eſt mundi pars Principe nulla.
Dic age, quæ placidè populos moderaris & urbes,
Diva Themis, quantis animis concordia vulgi
Faverit & juxtà Procerum. Pax, Gratia, Candor
Hoc flectente ratem ſeſe vidére renaſci,
Et non divulſis hæſere amplexibus omnes.
Non incompoſito tumuere palatia faſtu,
Non luxus populator opum mulctavit egenas
Paupertate domos. rediere arteſque Scholæque
Deſertæque diu melius fulſere Camœnæ.
Cum lituis civile forum conſenſit, & uno
Caſtra gradu trabeæque graves ivere. tribunal
Aſtræa, Aſtræam cuſtodivere ſecures.
Clauſit Diva latus dextrum Prudentia, lævum
Intemerata Fides. circum Vigilantia quavis
Parte

Parte ſui vigiles oculos circumtulit. effrons
Improbitas inviſa fuit, leniſque poteſtas
Atque illex hominum ſermo ducebat euntem.
Noverat hoc, manſueta coli, moroſa timeri
Imperia & tunc regnantum mandata probari,
Cum facilis comiſque jubet Clementia rectum.
Ipſe ſibi præiens ductor conſulta ſagaci
Mente dabat, vetuitque alienis fidere totum
Hortatu monitiſque ducem, ceu mobile lignum
Flectitur artificum digitis. Patientia duris
Inconcuſſa ſtetit, potuitque occulta morari
Vindictam pœnamque mali. latuere ſub iſto
Pectore Trajani faciles, Curiique Titique,
Fabricii, & patriæ jurati in commoda Bruti.
Quàm placuit cœlo Batavus, dum Præſide ab uno
Curia promulgat leges, ſua concutit arma
Odryſius validoque Hollandum munit honeſto
Simplicitas, ſcævumque avertit moribus aſtum.
Tota paludatum venerata eſt Belgica Patrem,
Albion obſtupuit, dilexit Gallia Celtis
Innexum cognata ſuis, non Adria votis
Defuit, agnovit conſors momenta laborum
Rex Sueonum, mœrens etiam Germania pugnæ
Non verita eſt illo formas didiciſſe magiſtro.
Solus Iber timuit. quid enim? ſubtraxerat Indum,
Et mundi tot fruſtra Tago atque immania regna
Claſſibus & magnos Regum luxaverat artus.
Invictum quondam domitæ novere Moluccæ,
Ipſaque Taprobane & geminæ trux rector Iâvæ,
Et quæcunque valent ingenti ſceptra profundo

 Seu

Seu Celebum ſint illa, vel immanſueta Giloli,
Vel Sundæ regnata Freto, vel proxima Gangi.
Quæ poſtquam varia terrarum parte geruntur,
Et vultus alios habituſque Europa modeſtos
Induit & belli viſa eſt obtundere murmur:
Quis Marti ferrum manibus decuſſit & enſes?
Quis Pacem, galeas inter, clypeoſque tubaſque,
Et delaſſatis ſuaſit pulchra otia regnis?
Hoc, Princeps manſuete, tuum eſt. tu belliger Orbem
Componis votereſque elidis Regibus iras,
Et tot regnantum cogis miteſcere bilem.
Sic pugnas, ſic miles ovas, ſic Martius inſtas
Hoſtibus, ut cunctæ trepident, te milite, partes,
Et diſcant meliora loqui Scaldiſque feruſque
Iſter & armati præfracta ferocia Rheni,
Et Lycus & Bavarûm Vindo. quæ claſſica dudum
Inflaſti, jam facta piæ ſunt nuntia pacis,
Horridaque in blandas fremuerunt tympana voces.
Invitum in leges & mollia tempora mundum
Trudis & in ſtricto meditaris fœdera ferro.
Laurea quæ cinxit frontem tibi, laurea jam mox
Orbis erit, noſtriſque etiam tua ludet oliva
Verticibus, leneſque erimus ſine litibus omnes.
Hoc demum eſt viciſſe, ſuis cum feſſa triumphis
Gloria, Gradivum jugulat, ſtringitque catenis
Tiſiphonem & fœtam furiis civilibus Aten.
Cum longas matrum lachrymas Concordia tandem
Abluit & nitidi diſpergunt nubila Soles,
In falces abeunt enſes, in raſtra bipennes,
Mutua diſtractos componunt oſcula cives,

Tym-

Tympana mutantur facili teſtudine, cantu
Cornua, inhumanos cohibet catapulta boatus;
Inque ſuam redeunt Metus & Diſcordia Thracen;
Et Furor Inſidiæque & Amor veſanus habendi.
Fare age, num talem excellens Hollandia quondam
Edideris. cunctos veterum circumſpice vultus,
Per Bavaros ſublimis abi, dominoſque pererra
Hannonios, per Burgundos fer lumina & ipſos
Anteveni Celtas Comites, appone coruſcas
Auſtriaco rectore domos, animaſque recentes,
Queis dubias præſens orbis conceſſit habenas:
Hîc ſe ſumma locant & congerit omnia virtus,
Et plures facit ex uno. hîc compendia ſpecto
Multorum contracta & tot colophona bonorum.

Magne Pater, decurſa tui nunc area fati
Non ultra patet ad voces & publica mundi
Gaudia. ſat Patriæ, Dux indefeſſe, dediſti.
Plus ſatis ereptum Heſperiæ eſt. tibi limina debent
Templaque cœlicolûm, debent aſſerta tuorum
Oppida, & everſæ Herculeis conatibus Arces,
Exterebrata tuo tot propugnacula ferro,
Quicquid & invictæ potuit ſuccumbere dextræ,
Oſtentatque Ducem. gentes diffuſus in omnes
Contraheris magnus tumulo. quà Belgica ſenſit
Pugnantem, hac quoq; parte jaces. ſpectantur ubique
Exequiæ & quas veniſti bellator in oras,
Has cineres, has urna ſubit. portaris iiſdem,
Quos fulſiſti, humeris. nec ſolum efferris in illâ
Vrbe, tibi quæ natales & lumina pandit:
Efferris paſſim & quot victas ſupputat urbes

Gloria, tot pariter portaris, Celſe, feretris.
Quà portæ, caſtella, Domus, Prætoria ſurgunt,
Incedunt tecum pompæ. lugubria velant
Pallia tot domitas gentes. quæ funeris altis
Culminibus teſtes reboant è turribus æra,
Plus intus mentes agitant. dolor, horror, & anceps
Imperii labor, afflicto campana Tribuno eſt,
Et trepidas excit ſonitu graviore cohortes.
Excubitor miles, ſpeculâ dum mœſtus in arctâ
Stat vigil, antè oculos fingit ſibi triſte cadaver
Præferri, ſe ponè ſequi. dum frena caballis
Aptat eques, ſtabuliſque aliquid miſerabile fatur,
Creditur exſtincti vaga Principis umbra, malorum
Ignarum terrere animal. dum pacis in umbrâ
Verſamur, pugnamus adhuc & militis omni
Occurrit fortuna loco. ſibi quiſque præire
Auriacum putat, & vallis præfigere leges,
Et caſtris facienda loqui. modò mitia fari,
Nunc indignari timidis, inſtare volenti
Pollicitis, ſoloque audacem accendere nutu,
Et celeres paupertati ſuadere ligones.
Quas foſſor ſubiit foſſas & cœca viarum
Compita, in his vellet glebis cum funere condi.
Et, quæ ducta fuit protenſo vinea paſſu,
Stringitur in formam tumuli, ſpatiumque ſepulchri.
Quas flammæ fregere truces igneſque cavernæ,
His erumpit honos latebris, his abdier optat
Quilibet, hîc rogus eſt, hîc hîc ſpectator oberrat.
Geldria, cur properas & vis ſuprema tueri?
Antè pedes jacet ille tuæ tutela ſalutis.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

Ad Vahalim Mauſolæum Schenkîque labores
Condite. quo ſtrepuit Victoria flumine, buſtum eſt.
Vos lapides, Friſii, vos ſaxa advolvite. non hîc.
In veſtris ſepelitur agris. tot cura paludum,
His recubat memoreſque velit ſupereſſe nepotes.
Iſala marmoreos tumulos attolle. ſed illic,
Quà Cuculum pavidaſque Aquilas remeare coëgit.
Incaſſum in Batavis illi Toxandre parentas.
Illic atratus gradere & nigra atria verre,
Victor ubi veſtris hoſtem ſemovit ab oris.
Et tu Battavia, Excelſæ nutricula mentis,
Et Trajectinæ illuſtris Reſpublica ſedis,
Et quæ pulchra, potens, vallis Groninga ſuperbis,
Omni crede loco Manes errare ſepultos,
Et veſtri curam gerere & ſuccurrere preſſis.
Communis dolor ex æquo & commune ſepulchrum
eſt,
Confunduntque omnes tria magna cadavera terræ,
Henrici, Fratrisqve & inenarrabile Patris.
Et jam Delfa capis, quem non capit Orbis & uno
Arma jacent Marſque ipſe loco. qui bella peregit,
Bellorum ſe fine beat, dumque omnia prudens
Componit, tranquillus abit. facit otia regnis,
Quæ ſibi feſſus habet. totieſque aſſuetus & enſem
Poſcere & armorum ſtudiis accendere Patres,
Vult fieri Hiſpano veniam. peramabile dictu,
Quò tumulo bellum tegitur, Pax naſcitur illo,
Armorumque omnes cauſſæ tolluntur & hoſtes.

Te, Dvx, deſtituit vitæ brevis hora, ſimulque
Deſtituit vatem veteris fiducia Muſæ.

Cùm

Cùm langues, mihi languet epos. cùm membra
fatiſcunt,
Genua labant moritura Tibi, mea claudicat, impar
Tot geſtis, pia Calliope. cum deſinis eſſe,
Iam poſſem, FREDERICE, mori. ſed Filius hiſce
Opponit fatis obicem & juveneſcere penè
Exanimem jubet, & dum Belgî frena capeſſis,
Me teſtem cupis imperii, GVILIELME, patremque
Et poſt cantatos patruos, tua dicere facta;
Et pacem præferre tubis, ſi nomina blandæ
Pacis amas, pacique tubas præferre ſiniſtræ,
Si Patriæ volet alma Salus. ſuccede ſecundis
Auguriis proavoſque refer. magnæque Parentis
AMELIÆ ſolare vices, & fœdera lecti
Rupta Deûm juſſis, & dum Genitoris imago
Prælucet Cynoſura Tibi, tot nomina laudum
Continua, veteriſque affulge ſidus honeſti.
Complexus Pater omne fuit, lauroſque togaſque,
Oceanum terraſque, malos calcavit & hoſtem,
Invidiam lethique metum. quem vincere telis
Armatum nequiit, mors callida vicit inermem,
Et fractum lentè domuit. poſtrema refulſit
Libera Majeſtas Batavûm. Rex ipſe fatetur,
Et talem regnare ſinit. nil reſtat agendum.
Sola deeſt æqui ratio, contentaque partis
Ambitio. hæc res eſt: ſunt tuta aræque focique,
Et Deus & conjux. Patrii ſic orbita Fati
Clauditur & rediit Famæ jam circulus ad Te.

CASPAR BARLÆVS.

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66

Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of Koninklijke Bibliotheek, Den Haag.
252 A 66